

Letter 62: 13 November 1520, Leipzig, Petrus Mosellanus to Capito

The manuscript of the letter is in the Universitätsbibliothek Basel, Kirchenarchiv 25a, # 50.

Dici non potest, optime Fabriti, quantopere amarim te ex nomine tantum cognitum. At postquam tuam erga me benevolentiam epistola ad me scripta declarasti, magis etiam tui amore flagrare cepi, ut qui agnoscerem per hoc me non amare tantum sed etiam redamari, idque a tanto viro. Sed quod literas meas ante menses aliquot scriptas una cum hiis primum accipis in causa est
5 quod aliis curis super alias obvenientibus, dum non statim aderat ad manum tabellarius, illae neglectae, ut fit, inter ceteras chartas iacuerint. Quid istic agant studia, ut floreant, ut incessantur a sophistis equidem nescio, hic certe adhuc superiores sumus hostibus et vincit nostra pars non solum melior sed etiam pars maior. Martini Lutheri ferocia rem nonnihil turbat. Alioqui, quo
10 animo sit erga bona studia princeps vel ex hoc conicies facile: superioribus diebus, cum inclytus dominus noster Georgius aliquandiu hic ageret, supra decies honestissimam tui mentionem fecit, ostendens se tui studiosissimum esse. Nec hoc limite perstitit. Immo Caesari Pflugk, strenuo et industrio equiti aulae nostrae capiti, negotium dedit de te tuisque rebus accurate inquirendi. Quamobrem Caesar de hac re mecum ac cum Henrico Stromero, urbis nostrae senatore iam ante hoc cognito, semel atque iterum egit. Sed quia quid animi erga nos habeas et an isthinc avelli
15 conditione aliqua possis nescimus, hactenus certi nihil potuit a nobis statui. De urbis amoenitate, amicorum multorum fide, summo iuventutis studio, principis constanti benignitate non est quod magnopere addubites. Illud saltem ad rem pertinet: fac tuis ad utrum nostrum litteris animum tuum erga Lipsiam declares. Postea nostra erit cura, ut princeps ipse scribat teque certa conditione accersat. Non credis quanta hic sit morum ac vitae elegantia, in quanta luce vivatur,
20 quanta sit sacerdotalis vitae honestas. Neque enim hic similia reperies exempla eis quae isthic impune fiunt. Scis quid velim hic, et quid taceam.

Qui has ad te perfert Hebraeus est, sed ex animo Christianus factus, idque Lutheri predicationibus, homo integer ac fidus. Eum literis ac tabulis suffarcinatum in patriam miseram negocioli cuiusdam comparandi gratia. Per hunc de omnibus vel secretissimis rescribere poteris.
25 Animam citius quam amicos prodiderit. Nam domi mea hominem iam sesquiannum alo. Itaque novi ut ipsum me. Huttenus quid moliatur miror: huc nunciatum est hiis diebus in manus ei venisse nuncium quendam apostolicum multis bullis instructum. Stromer homini scripsit litteras: ad eum clam perferri cura. Sic enim postularat ille. Ipse saluto hominem reverenter, quando scribere hoc tempore nullo modo vacat mihi, nec est quod scribam. Portat hic secum aliquot
30 Martiniana opuscula, quae videbis. Miror quorsum res sit exitura. Martinus enim amicis multis admonentibus de ingenio suo nihil remittit. Immo indies magis ac magis in istorum sevit tyrannidem. Quod bene vertat. Princeps meus Georgius homini non tam quam Fredericus elector favit. Bene vale. Cursim Lipsiae, et rescribe. Eidib. Novemb. An. xx. Tuus P. Moselanus.